PAMFLET
1225

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

IOANNIS MEVRSI
Panegyricus

IACOBO I.
SERENISSIMO
Angliæ , Franciæ,
Scotiæ, & Hiberniæ
Regi dictus.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

HAGÆ-COMITIS,
Ex Officinâ Bucoldi Nieulandii.
Anno cIↄ. Iↄc. III.

1225 35

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

IOANNIS MEVRSI
PANEGYRICVS

IACOBO PRIMO

Sereniſsimo Angliæ, Franciæ, Scotiæ & Hiberniæ Regi dictus.

NVNC illud tempus eſt, Sereniſsime Rex, cùm, quicquid unquam fuit eloquentiæ, optare mihi jure debeam. In hunc diem, in hoc auguſtiſſimum tempus certè conferrem. At verò adſtricta faucibus hęret vox, nimíſque ſentio idem ad concutiendum mentis ſtatum poſſe magnitudinem gaudii, quod triſtitiæ. Ita hic animus intrà præcordia exultans, dum prorumpere geſtit, vix ſe poteſt proferre. Nihil tibi accidere honorificentius potuit, quàm ſuccedere tali Heroïnæ, cui parem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

nulla unquam ſecula viderunt. Atque ut illi ſuccedere magnum virtutis ſacramentum eſt, ita ad ſucceſſionē vocari, opinionis de virtutibus tuis conceptæ præclariſſimum teſtimonium: eò verius, quod ab univerſis datur, qui mentiendi neque cauſam neque tempus habent. Nec unquam ad mendaciū in tanto numero conſenſus eſt. Dubium autem nemo habet, quin ſpei omnium abundè ſis reſponſurus. Itáque, etſi magnum quidem tibi onus incumbat, non exiguam tamen ejus partem judicia procerum recipiunt, & ut alias regni, ita hanc quoque inter ſe curam partiuntur. Iterū dicam; accidit id, quo vel in toto rerū ordine nihil aut tibi majus, aut Britannis utilius, aut nobis quoque exſpectatius evenire poterat. O benigna horum temporum fata! ô lætum nuntium! Vix auribus noſtris credidimus, ubi primùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

mùm accepimus. Ea enim mentis humanę in gravibus rebus conditio eſt, ut ea quæ maximè optet, poſtquàm evenerint, ęgrè tamen eveniſſe perſuadere ſibi poſſit. Ita plerumque ipſa voti ſibi obſtat magnitudo, & dum fidē impedit, amittit gaudium. Cùm nuntius allatus eſſet de morbo DIVÆ ELIZABETHÆ, magna paſſim per univerſam Angliam proborum omnium, religionis & publicæ pacis amantium, fuit conſternatio, novos à morte ejus motus, & Marianam iterum tempeſtatem, imminentéſque jugulis ſuis gladios metuentium. Mox ubi & mors illius, & tua ſucceſſio percrebuit, quo id modo accepiſſe exiſtimas tantoperè anteà in dubiâ eventus expectatione anxios? Exultabant, jubilabant, &, quicquid agebant, ſignum eſſe juſtiſſimæ ſuæ lætitiæ cupiebant. Nos quoque Belgę, ut eramus voti & metus in eodem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

tunc caſu participes, ita nunc gaudii. Neque vel hęc verba, vel iſta vota ulla adulatio finxit, ſed virtutis tuæ meritum expreſſit. Seriò optavimus, ſeriò nunc gratulamur, & vota ſolvimus, cum ſponte noſtrâ, tum inſtinctu, & vi; quippe magnum etiam imperium in homines gaudium habet, cogítque per blanditias. Volebam equidem tacere, & legem mihi dicebat verecundia mea: at officium noluí impio ſilentio corrumpere. Itáq. dum obſequium interpretor audaciam, neque in eundem hominem convenire exiſtimo lætitiam atque taciturnitatem, quæ duo maximè omnium inter ſe diſcrepant coniunxi, metum & temeritatem. Etenim quis virtutum tuarum intuitu non quidvis conetur, etſi in conatu defecturus? De me verè prędico: virtutũ tuarum admiratio, & ex eâ ſtupor, vocem oppreſſit: laudúmque officia

prohibent merita, quæ ſupra omnem ſeſe laudem extulerunt. Et nihil tibi quoque laude ullâ opus: ſed dictat ratio nullũ magis eſſe laudandum, quàm quem minimè neceſſe. Ipſa ampliſſimum ſibi præmium virtus, & contentus eſt animus conſcientiâ ſuâ. Vt tamen, quod æquum eſt, officio ſatisfaciam, frena parumper laxabo huic ſtilo, ſed ita ut memor ſim cum quo loquar, id eſt, cum rege, apud quem parũ loquendum. Ideóque ſi brevis exiſto, non id verborum imputari inopiæ jus eſt, quæ facilè gratulanti naſcuntur, ſed venerationi, quam debeo majeſtati tuæ. Scilicet reverenter alloquendus eſt, quem numinis in his terris vicem obtinere ſupremum illud Numen voluit. O te felicem, Rex Sereniſſime. Regna jam habes viris & opibus florentia, ſubditos ad omne obſequiũ pace & bello, animo & manu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

promptos: neque irritare te quiſquam temerè auſit. Galliarum ea felicitas ſemper credita fuit, ut agros haberet fertiliſſimos, populos obſequentiſſimos. Adeóque de Maximiliano I. Imperatore fertur, oborto nonnunquam de terrenâ magnitudine ſermone, dïcere ſolitum; ſi voti ſui res foret, duóſque haberet filios, majorem natu cœli, minorem Gallici regni optaturum heredem. Sed profectò, ſi non vincunt Gallias Britanniæ veſtræ, certè nihil iis de iſtâ laude concedunt. Iam fortitudinem quoque & virtutem bellicam laudatum jui, quam quis inficiabitur? Antiquum proavorum tuorum elogium eſt: Virorum eos eſſe Reges. Et teſtatur vetus inſigne, leo magnanimus, jam à Ferguſio regni veſtri auctore uſurpatus, ante annos mille octingentos. Atque hoc etiam nomine à Caroli Magni uſque temporibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

ribus gratuitam vobis militiam ex contractu debent Galli, vos illis ſtipendio ſuo militatis. Infelices hactenus IACOBI omnes in Scotiâ fuere, tanquam obnoxiũ infortuniis illud nomen eſſet. Evoluamus Annales gentis tuę, non quidem ut triſtem infelicium memoriam refricemus, ſed ut tuam tibi felicitatem oſtendamus. Nonne IACOBVM I. Roberti III. filium in Galliam profectum, captúmque ab Anglis, & carceri ab Henrico Rege mancipatum, mox autem dimiſſum, conjuratorum nefaria conſilia miſerrimè circumvenerunt? Idem fatum Secundi fuit. Tertium poſt plurima adverſorum tædia in miſerabili illâ clade Bannocbienſi pręlium hauſit. Nec lętiores Quarto res fuerũt, quem poſtquàm diu multúmque exagitaſſet Fortuna, in atrociſſimo prælio cadentem videt & exhorruit Branciſtona. In Quinto qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

dem, avo tuo materno, animi ambigua Fortuna diu pependit, quo illum modo tractaret, mox tamen gravibus ærumnis blanditias priores corrumpens, animi ægritudine, ſortíſq. infeliciſſimæ tœdio confectum ſpiritum eripuit. Ad te ventum eſt, Rex Sereniſſime, cui itidem necem non ita pridem parabant coniurati latrones. Sed hæc avertit, & tranſtuliſſe è Scotiâ nunc videtur, ut fatali quodammodo calamitati eriperet. Pęnitet quippe manifeſtò illam malignitatis ſuę, tantámque in majores tuos injuriam magnitudine in te beneficiorum ſtatuit obruere. Itáque nunc adeò blandè ad ornandum cum Virtute conſpirat, cumque illa dignum his omnibus pręſtiterit, hæc ut deberentur quoque curavit. Coëgit ſub ſceptrum tuum totam Britanniam, inſularum omnium reginam; coëgit Franciam, coëgit Hiberniam, illam indo-

indomitam: à te Scotiam tenes. Quis tot regna numerat? Avo tuo, IACOBO V. tria virtutis ſuæ honorificentiſſima contulit præmia, à Carolo V. ordinem aurei velleris, à Franciſco I. Sancti Michaelis, ab Henrico VIII. periſcelidis. Magna illa, magna profectò apud animum regium, & avidum gloriæ. At quanto in te benignior? regna tota obtulit. Factúmque tandem eſt, quod bis olim Henricus VIII. tentavit, ut unam in manum convenirēt tot ſceptra. Primò enim, cùm intellexiſſet avum tuum ducturum Magdalenam Franciſci I. filiam, accepturúmque dotis nomine centum millia coronatorum, & triginta millia librarum annuarum, miſit Epiſcopum Sancti Davidis, cum fratre Guilielmo Hauardo Nortfolcię duce, qui munus quidem librorum aliquot ad Religionis reformationem pertinentiū prætexerent,

rent, reverâ autem Gallica ſponſalia everterent, & in filiæ ſuæ amorem pellicerent, cum hoc promiſſo, regni Anglicani heredem futurum; quod ut crederet, creari ipſum è veſtigio ducem Eboracenſem, & Regis optionem. Sed fidem habere in tantâ beneficii magnitudine adblandienti Fortunę non potuit; & tam magnam ſortem intervertit Hamiltoniorum metus, quos jam hereditati tam opimæ inhiantes ſpes ſua coronaverat. Iterum autem ipſo mortuo, Sereniſſimam Reginam matrem tuam Eduardo VII. filio jungere tentavit, perfeciſſétque, niſi clàm impediiſſent Carolus V. & Franciſcus I. æmuli uterque potentię Britannicę. Atque ita obſtiterunt fata, & in hunc diem, in tua tempora omnem iſtam gloriam diſtulerunt. O felices Britannias nunc tuas, quæ duplici nomine gloriari ſanè poſſunt, & quod olim

unius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

unius regni geminam roſam conjunxerit Henricus VII. & tu unius inſulæ geminum regnum. Ab illo felicitatis ſuę fundamenta, à te colophonem acceperunt. Meruêre, meruêre hoc virtutes tuę, & Genii benignitas. Felices, iterum dico, quod nunquam ſatis dixero, Britannias, vel eo nomine, quod peccare in jis populus ſub te Rege non audebit. Siquidem, ut malitia Principis publica corruptela eſt, ita virtus cenſura: & acceptiſſima ſubditis lex eſt vita ejus. Malunt exempla virtutis, quàm imperia: atque ita demum promptiſſimè parent, ubi pręire imperantem vident. Et parum felix alioquin ad recta magiſter metus eſt, quem terror incutit. Habet magnam cogendi vim exemplum Principis. Habent, & habebunt id in te tui, nemóque nihil non pręclarum ſibi pollicetur. Magnum hoc, Rex

 Sere-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

Sereniſſime, placere ſpei ſuorum, & perpetuæ felicitatis fidem animis omnium facere. In te præſidia ſua collocârunt omnes boni, certi ſe virtutem ſuam tibi approbaturos, & præmia debita accepturos propter tuam. Cognatæ enim virtutes ſunt, & delectat unumquémque ſua in altero natura, quámque amat exornat. Hodie, quæ nunc tempora, & mores ſunt, ut ad honorum culmen aſcendas, non magnâ virtute opus eſt, opus eſt fortunâ. Plurimum datur nominibus, & pro merito cenſetur favor alienus. Apud honeſtas tamen mentes tantundem ſemper valuerunt gratia, & repulſa. At ſecus erit in tuâ aulâ, te Rege: eóq. nomine regnum ſibi univerſum gratulatur, non dubium habens, quin & DIVÆ ELIZABETHÆ veſtigia, & naturæ tuæ ductum ſequens, omnia ſemper dignis concedens, aſſuetum jam felici-

licitati tam diuturnæ publicum ſtatum ſis conſervaturus. Qui ſi affligatur, major longè futura erit hominũ querela, quia jam patientiam dedidicerunt. Etenim graviores efficere ærumnas inſolentia ſolet, quæ magnos in animum mollem impetus facit: frangítque doloris ſenſum longa miſeriæ continuatio. Verùm nullum hujvs rei periculum, nullus metus: tam certa unicuíq. eſt illa ad optima omnia & maxima facta indoles tua. Atque hæc cauſſa fuit, ob quam Britanni tui, & ſi in ſucceſſione auditâ ſummopere lętati, magis tamen multò fuerunt, ubi primùm pedem in Angliam intuliſti. Turbabat adhuc anteà ſpem dubiam metus, hærebántque animi in tantę rei eventu, quę impedimenta moliri quorundam malitia poſſet. Et ſciebant alioquin maximas quoque res vel leviſſimis quandoque momentis

 im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

impelli. Sed tu ſcrupulum omnem adventu tuo ſuſtuliſti. Qualis autem, & quàm optatus Britannis ille dies illuxit? Vidiſti ipſe, & oculi tibi tui dixerunt. Quod erat gaudium? quæ exultatio? quis plauſus? quippe vota diu intercluſa, ubi ſatiantur, cum impetu adfectum effundunt. Ipſa mediusfidius rerum omnium facies de populi voluptate perhibere teſtimonium potuit. Quàm gratus omnibus adſpectus iſte aurei vultus tui? quàm acceptum fuit virtutum tuarũ famam oris teſtimonio comprobari? Etenim prima in oculos incurrit forma, & in animis cunctorum ad commendationem hominis plurimum poteſt: adeóque vel in plebe

Gratior eſt pulcro veniens è corpore virtus.

Sanè credidere ſemper viri ſapientiſſimi, & arcana Naturæ ingenii acie

riman-

rimantes, auguſtiſſimam quámque faciem plurimum in ſe divinitatis oſtendere, mentíſque cœlo ſuo cognatæ. Perſuadebant enim ſibi, animum in humano corpore hoſpitem deum in corpus venturum dignum ſe præmetari hoſpitium. Itaque in Regibus olim & Imperatoribus magnum virtutis argumentum cenſebatur oris decor. Hincillud apud Euripidem,

* εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

* Id eſt, Forma digna Imperio.

Ita nimirum judicat etiam populus, oportere ut regem qui acturus ſit regem præ ſe ferat: poſtulátq. vultus cum majeſtate concordiam. Atque hoc tibi ſingulari Naturæ beneficio obvenit, admirantibus univerſis, tantum te culmen corporis dignitate ęquare potuiſſe. Gratiſſimum omnibus eſt ſuffragium, quod virtuti tuę forma dedit. Illa effecit ut regem te Britanniarum eſſe oporteret, hæc

ut etiam deceret. Ad Majeſtatem prætereà Modeſtia accedit, & Comitas; rara utráque in tanto faſtigio. Quippe perpetua ferè regnorum pediſſequa Superbia eſt, trahítque plerúmque mentem ad ſe Fortuna, & extollit, ut ludum facere proterviùs poſſit. Sed verò divinũ illud os tuum amabili temperie Gravitas pariter ac Lenitas compoſuerunt. Eſt in illo quod boni venerentur, mali perhorreſcant. Iam in miſerorum ærumnis qualem te præbes? omnium ſortem aut corrigis, aut ſolaris: certè nullus à te triſtis diſcedit, efficiſq. quod felicitati proximum eſt, ne infelicitatis ſuæ quemquam pænitat. Sed videamus nunc animum, quem vultus promittit. Multæ in eo præſtantiſſimæq. virtutes toto terrarũ orbe longè latéque lumen ſuum diffundunt, veluti è ſpeculâ. Quippe habet hoc fortuna Principum, ut non liceat

ceat ipſis clàm vel bonis eſſe, vel malis. Sua illos magnitudo exponit videndos omnibus. Et hoc quaſi frenum iniicere voluit, ut magis ſollicitè uterentur potentiâ ſuâ, cogitaréntque quàm minimum illis licere, quibus omnia liceant, cùm nullius ſe judicium evadere poſſe ſcirent. Subditorũ vitia paucorum ſententiæ caſtigant, illorum autem univerſa regna damnant: cúmque ſupra leges ſint, populum tamen ſuum, qui ſub illis agit, vereantur neceſſe eſt: quique nemini parent, omnibus ſubmittere ſe hâc in re debent; atq. ita demum rationem nulli reddere tenentur, ſi ſic regnent, ut reddere omnibus poſſint. Et ut delicti ferè omnibus poſſint. Et ut delicti ferè pænam effugiant, quemadmodum ſolent, non odia tamen juſtiſſima poterunt, quæ pænâ quâlibet graviora. Sed id ne tibi fiat providerunt Natura pariter, & tua cura, quæ ad

 omne

omne te virtutis exemplum formârunt. Concurrunt in te certatim univerſa animi bona, & palmam ſingula poſtulant. Si juſtum quis Principem, ſi prudentem, ſi fortem, ſi clementem, ſi temperantem quærat, te oſtendere poſſumus, regni tui clariſſimum lumen, & æternum decus. Conjunxiſti aliud pręterea ornamentum, nempe doctrinam: ne non in omnibus parem DIVÆ ELIZABETHÆ ſucceſſorem Britannia acciperet. Atque hâc tu quidem cunctorũ, qui unquam fuerunt, Regum & Imperatorum laudem æquaſti. Iactet Italia Iulium Cæſarem, Auguſtum, & Antoninũ: Germania Carolum IV. & Sigiſmundum, Gallia Carolum Magnum, & Franciſcum I. Hiſpania Alphonſum I. Britannia tua Henricum VIII. & DIVAM ELIZABETHAM. Nulli horum cedis, nonnullos etiam vincis. Profectò levius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

viùs nunc jacturam ferunt tantæ Heroïnæ tota regio, vicinæque gentes, cùm, quæ amiſiſſe ſe dolebant, in te ea recuperaſſe cognoſcunt. Hoc verò ſummæ felicitatis eſt, extingere in animis ſubditorum poſſe præteritę felicitatis deſiderium. Gratulantur ſibi virtutes, intérque eas primę Religio & Pietas. Confidunt tuo ſe beneficio liberum locum & ſine periculo habituras. Confidit id populus univerſus, eóque nomine lętus acclamat identidem, SERVET DEVS REGEM TOTIVS ORBIS DIGNVM IMPERIO.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 1225